



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Disputatio VII. De Proprio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

tractionem realem Physicam superioris ad inferius, vel per mentalem, sive per prædicationem superioris de inferiori. 1^{um} dici non potest, quia contractio sequitur abstractionem, quæ sic non est realis Physica, sed mentalis, ergo 2^{um} dici debet: quo dato, sic arguuntur: 1^o. Ex concessis, contractio fit per prædicationem mentalem superioris de inferiori, sed ex antè dictis, Tract. 2^o de Universalibus Porphyrianis Disp. 1^a. Dub. 8^o. Quod abstrahitur ab hac albedine tantum, nec disjunctivè, nec copulativè est prædicabile de multis Individuis Physicis: Item natura abstracta per intellectum, ab unico Individuo, non est nisi de uno, illo v. g. à quo abstracta est, prædicabilis. Ergo gradus substantiæ hæccitati Petri identificatus, non est nisi ad Petrum contrahibilis. Probatur consequentia, quia gradus substantiæ hæccitate Petri identificatus, non potest abstrahi nisi à Petro; nam quidquid ab alio à Petro realiter distincto, abstrahetur, non erit Petro identificatum, ergo, &c. Vnde ulterius infero: ergo rationale unum sub conceptu Petro & Paulo tantum à parte rei identificatum, non est prædicabile de alio, quàm de Petro & Paulo, ac proinde nec per alias differentias, quàm per Petreitatem ac Pauleitatem contrahibile; ergo est de facto Differentia communis atomæ, respectu Petri & Pauli. Ex his

DCCVII. Colliges, Resolutionem nostram non probare, nullam prorsus rationem communem, sive genericam, sive specificam posse abstrahi ab Individuis (quod falso nonnullus indè infert) sed solam rationem communem per intellectum de facto soli Petro & Paulo v. g. identificatam realiter, non posse contrahi nisi ad gradus inferiores, quibus Petro & Paulo de facto identificatur.

DCCIX. Instabis, non minùs gradus communes individuorum merè possibilium identificantur hæccitatibus eorundem, quàm individuorum existentium gradus communes identificantur cum ipsorum hæccitatibus; ergo sicut conceditis (inquies) respectu individuorum merè possibilium, rationale posse ulterius abstrahi & contrahi per a-

lias rationes communes; ità id etiam in actualibus fieri oportet.

DCCX. Respondeo, negando consequentiam; concedimus enim, respectu individuorum merè possibilium, rationale posse ulterius abstrahi & contrahi; quia possibile est (ut contendo) Individuum, cujus rationalitas identificetur Differentiæ se inferiori & hæccitati. Vnde mirum non est, si rationale ab illo Individuo possibili possit ulterius abstrahi & contrahi per alias rationes communes: negamus verò respectu Petri & Pauli de facto existentium, rationale realiter illis identificatum, posse ulterius abstrahi & contrahi, quia non est identificatum; imò nec ullo modo identificabile ulteriori Differentiæ communi, sed soli infra se hæccitati Petri & Pauli. Hinc

DCCXI. Colliges, naturam humanam possibilem ejusdem cum nostra rationis, posse contrahi ad superiores & inferiores Species in infinitum: quia non est ratio, cur potius in uno, quàm in alio numero sistatur. Per hoc tamen non tollimus Species, aut Differentias atomas in homine de facto existente, aut animali respectu individuorum immediatè individuorum, ut patet ex præmissis: nam homo, ut de facto in Petro & Paulo existens, vel etiam ut à Petro & Paulo abstractus, neque potest alius identificari, neque per superiores Differentias essentielles ad alias Species contrahi, licet possit ut possibilis, & sub eo ut tali, Petrus & Paulus de facto existentes, sint Genus immediatè individuatum à parte rei; id enim Resolutioni nostræ non obstat.

RESOLUTIO II.

DCCXII. Dico 2^o. datur Species atomæ, nec omnis Species est per ulteriorem Differentiam communem essentialem contrahibilis. Conclusio hæc clara est ex præcedenti, in homine abstracto à Petro & Paulo de facto existentibus, & animali abstracto ab hoc & hoc animali immediatè individuato à parte rei.

DISPUTATIO SEPTIMA

De Proprio.

DUBIUM I.

Quid Proprium in Genere & quodupliciter accipitur.

RESOLUTIO I.

DCCXIII. Dico 1^o: Proprium in Genere, hic non est Proprium prout improprio opponitur, quomodo propriè dicitur, homo ridet, & improprie, prataridet; sed prout communi opponitur.

RESOLUTIO II.

DCCXIV. Dico 2^o. Proprium prout opponitur communi, quadrupliciter accipitur.

DCCXV. Proprium 1^o modo acceptum, est, Quod

soli cuipiam Speciei accidit, etsi non omni; id est, quod uni tantum Speciei convenit, etsi non omnibus istius Speciei Individuis, ut esse Monachum, Philosophum, &c.

DCCXVI. Proprium 2^o modo, est, Quod omni Speciei accidit, etsi non soli, id est, quod omnibus unius Speciei Individuis convenit, etsi non soli illi Speciei, ut esse progressivum, aptum habere duos pedes tantum, &c.

DCCXVII. Nota hoc Proprium 2^o modo, in rigore potius esse commune multis, quàm Proprium; nisi sumatur comparativè ad ea, quibus præcisè est commune, abstrahendo ab una alia Specie, cui etiam convenit: sic esse aptum habere duos pedes tantum, dicitur esse Proprium 2^o modo homini, comparatione factà ad bovem, asinum, &c. quibus id non convenit, & abstrahendo à gallina, cui id convenit.

DCCXVIII. Proprium 3^o modo, est, Quod soli &

K 2

terti

toti, & interdum accidit, id est certo à natura determinato tempore, supple tantum, ut excludas Proprium 4^o modo, quod semper accidit; si enim semper, etiam interdum accidit, exemplum est, canescere proprie dictum, sive quod oritur ex defectu caloris naturalis, impotentis resolvere humiditatem cerebri; non autem improprie dictum, sive proveniens vel ex morbis, vel ex gravi metu, vel ex acri studio, ut sæpe in Iuvenibus contigit.

Adde, quædam etiam bruta dici canescere, melius tamen dicerentur albescere, vel griscere, de quo Naturalistæ. Vnde, exempli causâ, Porphyrius hîc supponit, solum hominem canescere.

DCCXIX. Proprium, 4^o modo, est, *Quod toti Speciei soli & semper accidit*, ut risibile respectu hominis, non autem ridere: nam quosdam interdum flevisse legimus, risisse numquam; talis fuit Christus Dominus, ut multi Patres testantur. Pro complemento

DCCXX. Petes, quid significet accidere, in illatis definitionibus.

DCCXXI. Respondeo, idem esse, quod accidentaliter, sive non essentialiter convenire, per quod tria prima prædicabilia excluduntur, & significatur Vniversale accidentale esse Genus immediatum Proprii, & non 4^{um} prædicabile. Pro quo fit

D V B I V M II.

Que definitio essentialis Proprii 4ⁱ prædicabilis; & quorum respectu sit 4^{um} prædicabile.

RESOLUTIO I.

DCCXXII. Dico 1^o. Proprium est unum, &c. Aptum prædicari de multis pure in quale necessario, & conversim.

DCCXXIII. Dixi 1^o. pure in quale: id est, pure accidentaliter, ut excludas tria prima prædicabilia, quæ prædicantur in quale-quid, sive accidentaliter essentialiter, utpotè de essentia Vniversali eorum, de quibus apta sunt prædicari, non item Proprium; sed quidpiam ab ea Metaphysicè sive ratione nostrâ dimanans; quicquid verò non est de essentia, apud Logicos, dicitur Accidens ejus, cui competit.

DCCXXIV. Dixi 2^o necessario, ut excludas 5^{um} prædicabile, quod non est necessario cum essentia connexum, id est ita, ut, si ipsum destruat, consecutivè pereat essentia; sed quod abest, & adest finè subiecti corruptione; in quo 5^{um} quarto prædicabili opponitur.

DCCXXV. Dixi 3^o conversim, de quo Dub. 3^o.

RESOLUTIO II.

DCCXXVI. Dico 2^o. Proprium non est 4^{um} prædicabile respectu Speciei vel Generis simpliciter sumpti; sed respectu Speciei vel Generis personaliter sumpti. Verum antè probationem

DCCXXVII. Suppono, non solum Proprium 4^o modo, sed etiam 2^o modo, ad hoc prædicabile pertinere, ut v.g. esse visivum, progressivum, &c. quia ad rationem 4ⁱ. prædicabilis tantum requiritur, esse unum, &c. aptum prædicari de multis pure in quale ne-

cessario & conversim; quod totum Proprium 2^o modo convenit. Hoc itaque supposito

DCCXXVIII. Probatur Resolutio, uti Disput. 6. Dub. 2^o. probatum est.

DCCXXIX. Obicies tamen: Proprium est 4^{um} prædicabile respectu ejus, respectu cuius est Proprium, non commune; sed respectu Speciei vel Generis simpliciter sumpti, est Proprium, & non commune; non verò respectu Speciei vel Generis personaliter sumpti, ergò, &c. Major patet pro 1^a parte: probatur pro 2^a, quia respectu Speciei vel Generis personaliter sumpti, est Vniversale, ac proinde commune, & non Proprium.

DCCXXX. Respondeo distinguendo majorem pro 1^a parte: Proprium est 4^{um} prædicabile respectu ejus, respectu cuius est Proprium Metaphysicum, nego majorem: respectu ejus, respectu cuius est Proprium prædicabile, concedo majorem: aliundè verò habetur Proprium Metaphysicum; aliundè Proprium prædicabile; nam illud ab essentia Speciei vel Generis, hoc verò à conceptu confundente Individua Speciei vel Generis, in ratione aliqua, illis secundum Speciem vel Genus suum spectatis Metaphysicè propria. Hinc

DCCXXXI. Colliges, hanc prædicationem, homo simpliciter sumptus, est risibilis, esse de uno tantum, nec proinde Vniversalem, sed æqualis de æquali.

D V B I V M III.

An Proprium, ut est 4^{um} prædicabile, debeat esse aptum prædicari conversim de iis respectu quorum est Vniversale.

RESOLUTIO I.

DCCXXXII. Dico Proprium, ut est 4^{um} prædicabile, debet esse aptum prædicari conversim de iis respectu quorum est 4^{um} prædicabile. Probatur, Proprium ut est 4^{um} prædicabile, debet esse aptum prædicari necessario de iis, respectu quorum est 4^{um} prædicabile, ergò & conversim. Prob. consequentia, quia eadem ratione, quæ aptum est prædicari de illis necessario, est aptum prædicari & conversim, ergò, &c. Probatur assumptum: quia de illis tantum consideratis secundum rationem à qua fluxu rationis emanat, est aptum prædicari necessario; nam respectu aliarum rationum est verum Accidens Logicum; sed de illis consideratis secundum talem rationem, est aptum prædicari conversim, ergò, &c.

DCCXXXIII. Obicies tamen: Proprium est aptum prædicari de multis ut multis necessario; sed non est aptum prædicari de multis ut multis conversim; ergò non eadem ratione, quæ est aptum prædicari de multis necessario, est aptum prædicari de multis conversim. Ac per consequens, ut est 4^{um} prædicabile, non debet esse aptum prædicari conversim de iis, respectu quorum est 4^{um} prædicabile; quia illa sunt multa ut multa, ergò, &c.

DCCXXXIV. Respondeo distinguendo majorem: Proprium est aptum prædicari necessario de multis ut multis specificativè, concedo majorem, id est, Proprium debet esse aptum prædicari necessario de illis, quæ sunt multa realiter, verum est: reduplicativè, nego majorem: nam Proprium non debet esse aptum prædicari necessario de illis, quæ sunt multa realiter ut sunt reduplicativè multa realiter; alio-

qui

qui similiter Genus, Species, & Differentia deberent apta esse prædicari in quid de multis realiter, ut sunt reduplicativè multa realiter, quod impossibile est; nam cum multa realiter ut multa reduplicativè, non dicant in suo conceptu formali Genus, Speciem & Differentiam, utpotè formalissimè hoc & hoc, hæc de illis non possunt prædicari in quid, &c. eadem verò ratione, quâ Proprium est aptum prædicari de multis ut multis specificativè *necessariò*, est etiam aptum prædicari de multis ut multis specificativè *conversim*, puta secundum rationem à qua fluxu rationis emanat, quia sicut in hac emanatione fluxu rationis fundatur prædicabilitas *necessariò*, & non in alio, ita & prædicabilitas *conversim*.

DECXXXV. Respondeo 2º distinguendo maiorem: Proprium secundum rationem genericam sive secundum rationem, quâ Universale est aptum prædicari de multis ut multis *necessariò*, concedo maiorem: secundum rationem specificam sive Differentiam, quâ Universale tale est Universale, nego maiorem: & ratio est, quia Differentia divisiva non includit Genus.

DECXXXVI. Instabis Proprium non est Universale ut prædicabile *necessariò* de multis consideratis secundum rationem à qua fluxu rationis emanat, ergò nec ut est 4^{um} prædicabile debet esse aptum prædicari *conversim* de iis, respectu quorum est Universale, consequentia patet; probatur antecedens, quia Universale est unum, &c. aptum prædicari de multis; sed illa multa, de quibus Proprium est prædicabile *necessariò*, considerata secundum rationem à qua fluxu rationis emanat, non sunt multa, ergò, &c. Probatur hæc minor: quia illa ratio est Genus, si Proprium genericum; Species, si specificum, ergò, &c.

DECXXXVII. Respondeo 1º, retorquendo argumentum in Genus, Speciem, & Differentiam: Genus non est Universale ut prædicabile ut pars materialis de multis consideratis secundum essentiam Universalem; Species non est Universalis ut prædicabilis ut tota essentia de multis consideratis secundum essentiam Universalem: Differentia non est Universalis ut prædicabilis ut pars formalis de multis consideratis secundum essentiam Universalem; ergò nec Genus, ut est 1^{um} prædicabile, debet esse aptum prædicari ut pars materialis de iis, respectu quorum est Universale, & sic proportionaliter de Specie & Differentia Philosophandū. Negabis procul dubio hanc consequentiam, quæ tamen patet, posito antecedenti vero, quod proinde probatur: quia Universale est unum aptum prædicari de multis, qualia non sunt illa multa, considerata secundum essentiam Universalem, nam hæc est una illorū essentia.

DECXXXVIII. Respondeo 2º admissio antecedenti; negando consequentiam; sicut enim aliud est, Proprium non esse Universale ut prædicabile *necessariò*, quàm sit Proprium ut 4^{um} prædicabile non esse prædicabile *necessariò*; nam 4^{um} prædicabile in suo conceptu formali præter prædicabile *necessariò*, dicit Universale: ita aliud est Proprium non esse Universale ut prædicabile *necessariò*, id est, *conversim*, quàm sit Proprium ut 4^{um} prædicabile, non esse prædicabile *conversim*. Unde Species Universalis, puta Genus, Species, Differentia, &c. sunt Universales, sive aptæ prædicari de multis secundum rationem suam genericam, non verò secundum Differentiam suam specificam importatam per ly ut pars materialis, ut tota essentia, ut pars formalis, *necessariò* sive *conversim*, &c. alioqui eidem idem bis sub

duplici ratione conveniret: quare, sicut Genus, Species, Differentia, &c. habent rationem *Universalis* per respectum ad multa ut multa, & rationem *talis Universalis* per respectum ad multa considerata secundum unam essentiam Universalem; ita Proprium habet rationem *Universalis* per respectum ad multa ut multa; rationem verò *talis Universalis* sive *prædicabilis necessariò* seu *conversim*, per respectum ad multa considerata secundum unam rationem Universalem, à qua emanat. Ex his

DECXXXIX. Colliges, Proprium 2º modo, ut esse visivum, esse aptum habere duos pedes, &c. respectu prædicati communis hominibus, & avibus, nobis innominati, non minus prædicari *conversim* de iis, respectu quorum est Proprium 2º modo, quàm *necessariò*, puta secundum rationem, à qua emanat, in illis contentam; ac proinde Proprium 2º modo esse prædicabile *conversim* respectu eorum omnium, respectu quorum est prædicabile *necessariò*.

DVBIVM IV.

An Proprium sit 4^{um} prædicabile sumptum in concreto, an in abstracto pro sua forma.

ANTE Resolutionem
DECXL. Suppono, Dubium procedere de definito quod, & accidentali in definitione Proprii, ut v.g. de risibili, progressivo, &c. an ut risibile, progressivum, &c. an ut risibilitas, progressivitas, &c. sit 4^{um} prædicabile. Hoc præmissio, sit

RESOLUTIO I.

DECXLI. Ico 1º. Proprium ut sic sumptum non potest esse 1^{um} prædicabile in concreto.

DECXLI I. Probatur, quia in concreto non est aptum affirmari de multis in quale; sed 4^{um} prædicabile debet esse tale, ergò, &c. Probatur major, quia in concreto omnia affirmantur ut idem, ut æquale de æquali, &c. nihil verò sibi ipsi Accidens, in identitate æqualia non sunt sibi ipsis Accidens, &c. ergò, &c.

DECXLI II. Confirmatur, risibile v.g. in concreto importat ea omnia confusè, de quibus aptum est affirmari; sed illa non sunt apta affirmari de se ipsis ut Accidens, ergò nec risibile in concreto, ac per consequens in concreto non potest esse, &c.

DECXLIV. Pro Solutione objectionis, quæ communiter objicitur; Proprium non esse quidem aptum affirmari de multis, secundum quod dicit in recto, bene autem secundum quod dicit in obliquo, vide Responsionem ad similem objectionem, Disp. 31. Dub. 2º.

RESOLUTIO II.

DECXLV. Ico 2º. Proprium ut sic sumptum, est 4^{um} prædicabile in abstracto.

DECXLVI. Probatur. Risibile v.g. aliquo sensu est 4^{um} prædicabile, non in concreto, ut Resolutione 1ª vidimus, & alioqui ut supra dictum est, omnia prædicabilia essent eodem modo prædicabilia, scilicet ut æquale de æquali, ergò in abstracto.

DECXLVII. Confirmatur. Risibilitas v.g. in abstracto est unum, &c. aptum affirmari de Petro, Paulo, &c. pure in quale *necessariò*, ergò est 4^{um} prædicabile. Consequentia tenet à definitione: major patebit Solutione argumentorum, pro qua vide Disp. 31. Dub. 2^{um}.

DVBIVM V.

An Proprium dimanare debeat ab essentia, & separari possit à Subjecto.

Antè Resolutionem
DCCXLVIII. Suppono Proprium esse duplex, Physicum unum, aliud Metaphysicum: Physicum est, quod sequitur essentiam Physicam sive connexionem materiæ & formæ, ut calor respectu ignis, frigus respectu aquæ: Metaphysicum est, quod consequitur essentiam Metaphysicam, sive connexionem Generis & Differentiæ, ut risibilitas respectu hominis, hinnibilitas respectu equi; hinc non male Proprium Physicum diceretur foetus conjugii inter materiam & formam; Metaphysicum inter Genus & Differentiam. Hoc supposito, fit

RESOLUTIO I.

DCCXLIX. **D**ico 1^o omne Proprium debet dimanare ab essentia.

DCCL. Probatur, quia dimanare ab essentia est produci ab essentia, & necessario essentia connecit: sed hoc est omni Proprio proprium, ergo, &c. Quod, ut facilius intelligas,

DCCLI. Adverte emanationem unam esse realem, & est Proprii Physici; alteram rationis tantum, & est Proprii Metaphysici: emanatio autem realis, est realis productio, & connexio necessaria Accidentis cum essentia, ut v. g. caloris cum igne: emanatio rationis, est per rationem productio, & connexio necessaria Accidentis cum essentia; per hoc v. g. dicitur Proprium Metaphysicum ab essentia ratione vel conceptu emanare, quod ex conceptu essentia Metaphysica natus sit resultare conceptus alicujus Accidentis; sic, qui concipit rationalitatem, necessario consecutivè concipit admirativitatem, & risibilitatem, quæ sese respiciunt instar causæ & effectus Metaphysici; nam sicut prius est ratiocinari & intelligere, quam admirari & ridere, ita prius est rationalitatem esse, quam admirativitatem & risibilitatem.

RESOLUTIO II.

DCCLII. **D**ico 2^o Proprium Physicum potest per Divinam potentiam separari realiter à suo subjecto.

DCCLIII. Probatur, quia ab eo realiter emanat, & realiter distinguitur ab illo, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

DCCLIV. **D**ico 3^o Proprium Metaphysicum non potest ullo modo separari realiter à suo subjecto.

DCCLV. Probatur, quia ab eo, nec realiter emanat, nec realiter distinguitur; sed est ipsamet rei entitas concepta in ordine ad operationem post-essentialem & secundariam: idem verò nequit à seipso realiter separari, ergo, &c.

DCCLVI. Dixi, concepta in ordine ad operationem post-essentialem & secundariam; quia sicut Proprium Physicum præsupponit Differentiam specificam & essentialem; ita præsupponit operatio-

nem essentialem & primariam, quæ à Differentia specifica emanat, & est illa, quæ quoad nos compositum ab aliis distinguit, & quæ nobilissimè, quam potest, operatur, ut ratiocinatio respectu hominis: porro nobilitas actionis ex eo sumitur, 1^o, quod aliæ ab ipsa dependant, sic risus à ratione pendet, estque ideo illa ignobilior. 2^o ex eo, quod sit altioris Ordinis: sic intellectio est nobilior visione, quia hæc est Ordinis entis materialis, ista Ordinis entis immaterialis.

RESOLUTIO IV.

DCCLVII. **D**ico 4^o Proprium Metaphysicum non potest, etiam per negationem, ratione separari à subjecto, sive essentia.

DCCLVIII. Probatur, quia, ut patebit ex dictis, alioqui esset Accidentis si prædicabilis; quia illud, si identificetur subjecto, ut v. g. esse relativum, potest tantum separari, sive adesse & abesse, à subjecto, salva subjecti essentia, per negationem de subjecto salva subjecti essentia: sed debet esse distinctio inter Accidentis quinti, & quarti prædicabilis, ergo, &c.

DCCLIX. Confirmatur, ideo prædicationes si prædicabilis sunt contingentes, quia, saltem per negationem, prædicatum earum Accidentale potest ratione à subjecto separari; ergo 4ⁱ prædicabilis erunt necessaria, quia, saltem per negationem prædicatum earum Accidentale non poterit ratione à subjecto separari.

DCCLX. Obijcies tamen, est de ratione Accidentis & omnis prædicati Accidentalis, posse negari de subjecto; sed Proprium Metaphysicum est tale, ergo, &c.

DCCLXI. Respond. distinguendo majorem: est de ratione Accidentis & omnis prædicati Accidentalis strictè sumpti & prædicabilis 5ⁱ, concedo majorem. Et ratio sumitur ex definitione Porphyrii, quæ illud definit, quod *adesse & abesse sine subjecti corruptione*: Latissime sumpti, & ut 4ⁱ prædicabilis, nego majorem: ita enim sumptum idem est quod non essentiale, commune ad post-essentiale sive essentiale secundariò & Accidentis strictè, unde *in quale* sive accidentaliter in definitione Proprii 4ⁱ prædicabilis positum, idem est quod non essentialiter.

DVBIVM VI.

An Proprium Physicum, calor, frigus, &c. pertineat ad hoc prædicabile.

RESOLUTIO.

DCCLXII. **D**ico Proprium Physicum non pertinet ad hoc prædicabile formaliter, sed terminativè tantum.

DCCLXIII. Probatur 1^a pars, quia formaliter & secundum se, potest à subjecto realiter separari, & per mentem negari salva illius essentia, quod est Proprium Accidentis si prædicabilis, ergo, &c. Consequentia patet, quia ex dictis Dub. 4ⁱ Resol. 4^a ad hoc prædicabile tantum pertinet, quæ ne vel per negationem possunt à subjecto, salva illius essentia, ratione separari, ergo, &c.

DCCLXIV. Probatur 2^a pars, quia calor est terminus aptitudinis ignis ad habendum calorem; frigus terminus aptitudinis aquæ ad habendum frigus, & sic de aliis: sed illæ aptitudines sunt Propria Metaphysica, quæ ad hoc prædicabile

dicabile pertinent, ergo calor, frigus, & quodlibet Proprium Physicum terminative pertinet ad hoc prædicabile. Consequentia claret. Minor probatur ex præmissis Dub. 2º & 4º. Notari tamen debet, hoc non esse proprie pertinere ad hoc prædicabile, sed esse terminum illius dumtaxat, quod ad hoc prædicabile proprie pertinet.

DCCLXV. Obijcies tamen contra 1ºam partem Resolutionis: Proprium Physicum necessario competit & emanat à suo subiecto, ergo de illo prædicatur necessario, ac per consequens pertinet ad hoc prædicabile.

DCCLXVI. Respondeo 1º distinguendo 1ºam consequens: ergo de illo prædicatur necessario necessitate opposita contingentia 5º prædicabilis, quod hic requiritur, nego consequentiam: necessitate opposita separabilitati naturali, concedo consequentiam, sed hoc non sufficit, ut aliquid dicatur huius prædicabilis; sed requiritur ut ita sit affixum suo subiecto, ut semper necessario & immutabiliter illi conveniat, id est, ita ut nec per Deum ab eo realiter separari possit, nec per mentem de eo, salva illius essentia, negari; quod Proprio Physico non convenit. Sic patet ad 2ºam consequens.

DCCLXVII. Respondeo 2º distinguendo Antecedens, Proprium Physicum necessario emanat à suo subiecto emanatione & fluxu reali, concedo Antecedens; verum sicut hæc emanatio & fluxus realis facit illud à subiecto realiter separabile, ita impedit quò minus sit prædicabile necessario, modo ad 4ºam prædicabile requisito: emanatione & fluxu rationis, nego antecedens; hæc autem emanatio & fluxus rationis requiritur, quia illa sola facit Proprium re & ratione negante à subiecto inseparabile.

D V B I V M VII.

An Prædicationes Proprii Metaphysici sint æternæ veritatis.

DCCLXVIII. A Ntè Resolutionem Suppono, illam prædicationem

DISPUTATIO OCTAVA

De Accidente.

D V B I V M I.

Quotupliciter accipiaturs Accidens in Genere, & qua illius definitiones.

RESOLUTIO I.

DCCLXXIII. D Ico 1º Accidens dupliciter accipi potest: 1º. latè pro omni eo, quod est extra essentiam alicujus, sive sit substantia, sive Accidens, ut v.g. animal respectu rationalis, & è contrà inferius respectu superioris, aureum respectu calicis, &c. 2º. stricte pro omni eo, quod subiecto contingenter advenit, accipiendo ly contingenter prout necessario, ita suprà explicato, ut sit illud, quod nec re, nec ratione negante à subiecto separari potest salva subiecti essentia, opponitur.

nem sive propositionem diel æternæ veritatis, in qua copula absolvitur à tempore; id est, quæ independentè à quocumque tempore determinato, præsentis scilicet, præteriti & futuro, imò & independentè ab existentia reali prædicati & subiecti, est vera, ut *homo est animal*. Ratio autem est, quia similes propositiones dicunt infallibilem & ita necessariam connexionem prædicati cum subiecto, ut nullà vi, etiam intellectus negantis, impediri possit, salva manente subiecti essentia. Hoc supposito sit

RESOLUTIO I.

DCCLXXIX. D Ico 1º prædicationes Proprii Metaphysici sunt æternæ veritatis. Probatur, quia in eis copula absolvitur à tempore, modo explicato: idem dic de prædicationibus Proprii Physici sumpti pro aptitudine & convenientia, quam subiectum dicitur ad illud naturaliter habendum; quia ut sic est Proprium Metaphysicum, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

DCCLXX. D Ico 2º prædicationes Proprii Physici, sumpti pro termino antè dictæ aptitudinis, non sunt æternæ veritatis.

DCCLXXI. Probatur, quia in illis copula non absolvitur à tempore modo explicato: non enim omni tempore verum est dicere, *ignis est calidus*, quod maximè patet, ex casu, quo Deus, ut potest, omnem calorem ab igne separaret.

CORROLARIUM.

DCCLXXII. C Olliges ex dictis, huius axiomatis, *Qui tollit proprietates, tollit essentiam*, hunc esse sensum, qui tollit proprietatem Physicam, naturaliter tollit essentiam Physicam: qui Metaphysicam, id est, qui negat proprietatem Metaphysicam de essentia Metaphysica, tollit, id est, negat essentiam Metaphysicam.

RESOLUTIO II.

DCCLXXIV. D Ico 2º Accidens variè à Porphyrio definitur.

DCCLXXV. Prima Accidentis definitio: Accidens est, quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptione, id est, sine destructione essentia Metaphysica subiecti, ut sic generaliter comprehendas mortem respectu hominis, combustionem respectu domus, albedinem respectu cygni, & hoc modo sufficienter differt à Proprio, quod abesse nò potest à subiecto (puta per negationem mentalem, ex dictis Disp. 7. num. 761. alioqui clarum est posse per præcisionem) sine destructione essentia Metaphysica subiecti. Hinc patet contra P. Hurtadum, non esse à Porphyrio traditam ineptam definitionem Accidentis; item contra PP. Arriagam & Oviedum prædictâ definitionem 4ºam & 5ºam prædicabile non comprehendendi.